



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 121. Novus Patriarcha Constantinopoli Mahometis jussu electus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.

A.C. 1453.

telligeret, armorum potentiam, suamque ærarium ex Christianorum subsidiis plurimum auctum iri; ex altera vero urbem propemodum incolis vacuum cerneret, cunctis ferme aut fuga dilapsis, aut gladio peremptis; hinc publico edito omnes, majores juxta ac minores, qui sese occuluerant, prodire jussit, addita plenissima securitatis, atque immunitatis sponsione. Pari modo & eos, qui ex urbe profugerant, undique acceriri voluit. Ut vero plures ad urbem alliceret, Constantinopolin multis egregiis ædificiis ornavit, illamque Imperii sui Sedem constituit.

§. CXXI.

*Novus Patriarcha Constantinopoli
Mahometis jussu electus.*

Cum interim Constantinopolitana Sedes ob spontaneam Georgii Protosyncelli Patriarchæ abdicationem, ejusque Romanam discessum vacaret, Mahometes novum Patriarcham, qui Constantinopoli resideret, subrogari voluit. Ut vero in hoc quoque negotio sese Imperatorem gereret, electionem eadem, quæ antehac apud priores Imperatores in usu erat, solemnitate fieri præcepit. Hi enim plurimum suorum Prædecessorum exempla secuti, nec veterum Canonum disciplinam,

nam, qua plena electionum libertas præ-
 scribatur, attendebant, nec a mul-
 tis retro sæculis inveteratam obser-
 vabant consuetudinem, vi cuius Impera-
 tori tres, ex quibus unum seligeret, no-
 minabantur; Hisce autem temporibus
 ipsimet Imperatores pro libitu suo ali-
 quem designabant, qui postea specie te-
 nus ac duntaxat, ut exterior servaretur
 ritus, eligebatur. Mahometes igitur
 hanc consuetudinem imitatus, quosdam
 Episcopos, qui forte prope Constantino-
 polim substiterant, paucosque de Clero
 ibidem existentes, ac civium primores
 convocavit, qui ad ejus imperium cele-
 berrimum Senatorem Georgium Schola-
 rium elegerunt, illum ipsum, qui in Con-
 cilio Florentino unionis causam adeo
 strenue promoverat, Vir sua ætate Græ-
 cos inter scientiæ laude facile princeps.

§. CXXII.

*Mahometes neo-electo Patriarchæ pos-
 sessionem Patriarchatus consueto
 more tradit.*

Scholarius mutato nomine Gennadius
 vocari voluit. Cum vero pro more
 veteri Imperatoris esset, ut neo-electum
 Patriarcham ad munus suum introduce-
 ret, ac Sedis suæ possessionem eidem ex
 formula traderet, Mahometes quoque
 juxta

Sæcul. XV.
 A.C. 1453.